



Doctoratus MARTINI LVTHERI
sicut in oculis superficiem rei spe-
ctantibus, parum quod mirentur,
ostentat, ita si quis de negotio to-
to exquisitius atque curatius co-
gitet, admodum memorabilis est,
ac nomine quidem non uno.
Namque & *tempus*, & *auspicia*, &
modus, *eventusque* ita se habuerunt, ut intuenti aliquam
admirationem divinae providentiae, ejusque singula-
ris, conciliare possint. Haec enim in eo jam benignis-
sime erat defixa, ut Ecclesiam pristino nitore restituere-
ret, ipsique verbum purum, cultumque sanctum & re-
purgatum redderet. Divino igitur quodam fato factum
est, ut quamprimum MARTINVS LVTHERVS in
hanc Academiam docendi causa accitus, ejusque ani-
mus ante omnia divinitus verbi sanctissimi lectione &
contemplatione illuminatus, & confirmatus, atque ad
tantas res gerendas praeparatus est sensim paulatimque,
Anno MD XII. Romam mitteretur, atque negotiis ordinis
sui expediendis intentus, seriem eorum, quae ibi gere-
bantur & docebantur, propius adspectans, divini hono-
ris zelo quodam sancto accenderetur. Unde post re-
ditum